vel Conſularis [1] efficiatur: ſeu Præfectorum prætorio infulas ſuſceperit gubernandas, vel Urbicariam (in ipſo tamen actu) meruerit præfecturam, necnon Magiſtri militum officium gerendum ſuſceperit, is gaudeat ſe hujuſmodi conditionis eſſe exortem, & liberum cum ſuis facultatibus ſuaque poſteritate, quam poſtquam meruerit dignitatem, vel actum geſſerit, ediderit: anterioribus filiis in conditione priſtina remanſuris, tam Præfecturæ [2] quæſtoris quam viri eloquentiſſimi fiſci patroni: tam [3] Præfecturæ quæ Orientalibus & Illyricianis præſident ſedibus, quam Urbicariæ, nexibus curiæ liberantur, cum ad fiſci patronatum pervenerint, una cum ſubſtantiis & liberis ſuis, quos vel ante habuerint, vel poſtquam ad eundem gradum provecti ſunt. † Viri etiam clariſſimi principes agentium [4] in rebus, curiæ libertatem ex antiquis legibus conſecuti ſunt: & viri ſpectabiles proximi ſacri ſcrinii [5] noſtræ memoriæ, & ſacrarum epiſtolarum, necnon ſacri [6] ſcrinii libellorum, ſacrarumque cognitionum & diſpoſitionum cum ſubſtantiis ſuis & liberis quos poſt emenſa [7] ſtipendia ſuſceperant: hoc etiam nos corroborantes intuitu laborum, quos multo, longo, prolixoque tempore pertulerint [8], intactum illibatumque conſervamus: ut hi omnes fortuna curiali liberentur cum ſua ſubſtantia, ſuaque ſobole, ſecundum ea quæ prædiximus. Ex ævo autem ſequente progenitos antea, nullius futuri fiſci patroni liberos concedimus liberandos: ut ne quod ſummis apicibus dignitatum non eſt conceſſum, hoc alii ſibi audeant vindicare: ſed progeniti filii antequam [9] ad fiſci patronatum pervenerint, in conditione priſtina remaneant. † Aliis [10] [autem modis] quam his quos ſigillatim enumeravimus [11], ſive legibus [12] antiquis comprehenſi ſunt (qualis [13] erat is quem ex tribus [14] maribus conceſſum ante fuerat patri maximo [15] Senatui ſociare) ſive comprehenſi anterioribus ſcitis non fuerant, liberationem competere cuidam curialis fortunæ nullo patimur modo: ſed ſive pragmatica [ſanctio] ſuper hoc proceſſit, ſive ſententia eminentiſſimæ [16] Præfecturæ, ſive alius modus quicunque excogitatus eſt: ea omnia penitus vacuari, & pro infectis [17] haberi, & curialia corpora ſuis reddi civitatibus, & ſubſtantias eorum ſubjacere, nulla excuſatione eis [18] penitus competente.

TIT. XXXII.

SI SERVUS, AUT LIBERTUS AD DECURIONATUM ADSPIRAVERIT.

Libertus, qui non habet jus annulorum aureorum, nec reſtitutus eſt natalibus, cum pœna a curia removeatur. Bart.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Saturnino.

SI [19] libertus, vel jus aureorum [20] annulorum adeptus non eſt, vel natalibus ſuis non reſtitutus: Præſes provinciæ non tantum curiæ [21] participare non permittat, ſed juxta legis [22] ſeveritatem congruenti pœna ulciſcatur.

2. Iidem AA. Oricinæ [23].

PRæſes provinciæ ſi eum qui Ædilitate [24] fungitur [25], ſervum tuum eſſe cognoverit, ſi quidem non ignarum conditionis ſuæ ad Ædilitatem aſpiraſſe perſpexerit, ob violatam [26] ſervili macula curiæ dignitatem congruenti pœna adficiet. Si vero quum opinione [27] publica mater ejus pro libera haberetur, ex decurione procreatus, ad capeſſendum honorem errore lapſus proceſſit, dominio tuo eum ſubjugabit [28].

TIT. XXXIII.

DE PRÆDIIS DECURIONUM [29] SINE DECRETO [30] NON ALIENANDIS [31].

De prædiis decurionum.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P. [32].

SI quis decurionum vel ruſtica prædia, vel urbana [33] venditor neceſſitate coactus addicit [34], interpellet Judicem competentem, omneſque cauſas ſigillatim, quibus ſtrangulatur, exponat: & ita demum diſtrahendæ poſſeſſionis facultatem accipiat, ſi alienationis neceſſitatem probaverit. Infirma [35] enim venditio erit, ſi hæc fuerit forma [36] neglecta: ita enim fiet, ut nec immoderatus venditor [37] nec emptor, [cujuſcunque ſit [38] conditionis,] inveniatur injuſtus: denique nihil erit poſtmodum quo venditor vel circumventum ſe inſidiis, vel oppreſſum potentia comparatoris queri debeat: quandoquidem ſub fide actorum, & de neceſſitate diſtrahentis, & de voluntate patuerit comparantis. Quod ſi quis contra vetitum occultis molitionibus per ſuppoſitas fraude perſonas, cujuslibet loci quem tamen [ei [39]] decurio diſtrahebat [40], comparator extiterit: ſciat ſe pretio [41] quod dedit, eſſe privandum: & locum quem comparavit, cum [42] fructibus eſſe reſtituendum. Dat. 8. Kalend. Decembr. *Conſtantinopol.* HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

De rebus mobilibus & nominibus curiæ hereditario jure adquiſitis.

2. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P.

NEc [43] venditio rei hereditariæ [44] curiæ acquiſitæ, aut debitoris [45] hereditarii qui ſolverit, liberatio aliter admittenda eſt, niſi [46] apud acta totius vel majoris partis ordinis intercedente decreto [47], ineundi contractus, vel diſſolvendæ obligationis cauſa probetur: Ita enim & id quod [48] ex ea redigitur: ad prædiorum jubemus comparationem expendi: quorum reditus omnes, (ſicut [49] dictum eſt) ejuſdem curiæ publicis muneribus quæ ſolatio egere conſtiterit, juſtiſſime ſervabuntur: ex conſenſu omnium & maxime ditiorum [50], vel idonea fidejuſſione oblata conductoribus eligendis. Dat. 5. Id. Jun. CP. FELICE & TAURO CONSS. 428.

Decuriones non poſſunt vendere ſine decreto, alios autem contractus non prohibentur celebrare. Bart.

3. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

CUriales [51] vendere quidem res immobiles, vel mancipia ruſtica [52] prohibemus [ſine] interpoſitione decreti: donationes [53] vero vel permutationes, vel quoslibet alios etiam ſine decreto permittimus [54] celebrare contractus: quoniam & ſacræ conſtitutiones quæ ſuper hoc a retro Principibus latæ ſunt, in plurimis [55] ſuis partibus de pretio non redhibendo locutæ ſunt: ut [56] ex hoc apertiſſime detur intelligi, ſolum venditionis [57] decurionibus ſine decreto interdictum fuiſſe contractum: cum [58] tamen venditio intercedente (ut dictum eſt) decreto agitur: nullum eos, vel qui ab his comparant, diſpendium cujuſcunque perſonæ, vel cauſæ, vel theatralis [59] liberalitatis nomine (quod frequenter fieri dicitur) ſuſtinere decernimus: nec [60] ex tabella decretum recitari, ſed curialium vel majoris partis curiæ relatione [61] currente, ſine ulla malignitate [62] referentium, vel damno contrahentium, ad confirmandam emptionem competentis Judicis proferri ſententiam **.

Conſtitutio Græca Juſtiniani hic deeſt, qua jubebat, ut tam donatio quam omnis actus alienationem continens decreto ſubjaceret, ut idem ait Novell. 38.

1 Dignitas hæc Conſularitas. 2 Al. *prælaturæ*, ſed hunc locum ſic emendat Cujac. *Sed & viri eloquentiſſimi fori patroni tam præfecturæ, quæ Orientalibus & Illyricanis præſidum ſedibus, quam urbicariæ.* 3 Advocatorum Præfecturæ prætorianæ & urbicariæ certus erat numerus. Ex eorum numero quotannis prodibant duo fiſci patroni, quibus hoc privilegii dabatur, ut ea dignitate, una cum liberis ſuſceptis poſt eam dignitatem curia liberarentur. 4 Vid. *l. 7. infr. de pr. agent. in reb. l. 12. tit. 22.* 5 Scrinia memoriæ epiſtolarum, libellorum, cognitionum & diſpoſitionum. 6 Nec non ſacrorum librorum, ſacrarumque &c. 7 Emerſa. 8 Protulerunt. 9 Curiæ nullæ dignitates liberant, præter ſuperius enumeratas. Ita Comitiva privatarum, vel largitionum, vel domeſticorum, vel quæſtura, vel magiſterium officiorum curia non ſolvit. 10 *l. 132. C. Theod. de decur.* 11 Memoravimus. 12 Natus patre jam patrono fiſci, curia una cum patre liberatur: ante natus, non liberatur. vide quæ ſcripſi ad *l. 61. ſupr. h. t. l. 11. infr. de dignitatibus.* 13 Quis. 14 Quartam Sabinianam datam adoptato ex tribus maribus tollit. §. *ſed ea omnia.* 14. *Inſtit. de hered. ab inteſt.* de qua dixi ad *l. penult.* §. 3. *ſupr. de adopt.* vid. *hic* Cujac. Alc. 4. *parer.* 3. 15 Senatus maximus urbis Romæ. 16 Eminentiſſima. 17 Imperfectis. 18 Ejus.

19 Curiales alterutro modo liberti eſſe poterant, vel jure aureorum annulorum impetrato, vel natalibus reſtituti: his deficientibus curiales eſſe non poterant, *ut hic*, ut nec ſenatores. *l. 9. infr. de dignitatibus.* Hodie poſſunt: cum omnibus libertis jus aureorum annulorum datum ſit, & omnes reſtituti natalibus. *Novell.* 78. *c.* 5. 20 Annulo aureo utebantur ingenui, idcirco libertinis annulus dabatur, ut quaſi ingenui viderentur. 21 Curiam. 22 Legem Viſelliam, de qua *ſupr. ad l. Viſel.* Goth. Cujus pœnæ hodie ceſſant, cæterum notandum hoc; meliore olim conditione fuiſſe natalibus reſtitutos, quam annulo donatos. hi enim honore augebantur, conditionem non mutabant: jura tantum & munia dum vivebant ingenuitatis habebant, *Nov. 74. l. falſo. ff. de cond. & demonſt. l. etiam. ff. de bon. lib. l. 2. ſupr. de jur. aur. ann.* Illi conditionem mutabant, quippe qui illis natalibus reſtituerentur, in quibus homines fuere, nondum neque naturali neque civili jure deſcripto, *l. 2. ff. de nat. reſt.* ergo vere fiebant ingenui. *l. ult. ſupr. de bon. lib.* At ex Nov. Juſt. 78. ipſo jure omnes liberti natalibus reſtituuntur, & jus habent annulorum, ſalvo jure patronatus. *Mod.* 23 Originiæ. 24 Ædilitas hic magiſtratus eſt municipalis, *l. qui inſulam.* 30. §. *ædilis.* 1. *ff. locati.* Juven. *ſatyr.* 3. ſic Arpinum habuit ædiles. Cic. 13. *fam.* & 15. *ad Att.* Capua Prætores, Cic. 2. *Agrar.* Lanuvium Dictatores. Cic. *pro Milone.* In aliis duumviri, Spartianus *in Adriano.* Per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duumviri ſunt, in aliis Quatuorviri. *l. 1. infr. de ſolut. & lib. debit. civit. l. 11. tit.* 39. Alexandriæ, Hypomnematographi. *l. 59. ſupr. de decur.* 25 Fungi ædilitate, & ædilem eſſe differunt: hoc juris, illud facti. 26 Curialis, ſeu decurio eſſe non poteſt, qui ſervus ſit. 27 Opinio publica libertatem non tribuit ſervo ædilitatem gerenti. adde *l. 11. ſupr. de liberali.* Quid geſta per eum, cujus ſunt momenti? ipſo jure nulla: utilitatis tamen cauſa ſuſtinentur, *arg. l. Barbarius.* 3. *ff. de offic. prætor.* 28 Ita eſt, ſi ſervus ignarus ſuæ conditionis adſpiraverit ad honorem curiæ, illæſus domino redditur: neque dubitari de hoc poteſt in ignaro pariter hujus facti domino: ſed quid ſi is ſciverit, an etiam tum ſervum recipiet? videtur quod ſic; cum nec ſciente domino decurio fiat, etiam ſi eo fine manumittatur; verius tamen eſt, ut dicatur fiſco eum addici debere, *arg. l. generali. infr. de tabul.* Cur enim eo paſſus eſt dominus inquinari curiam? *Mod.* 29 Curialium. 30 Subaudi, præpoſiti. Vid. Caſſiod. *lib.* 7. 31 Id eſt, vendendis, *ut conſtat ex l. ult. h. tit. ſupr. de jure emphyt.* 32 *C. Theod.* 12. 3. 1.

33 *Urbana vel qualibet mancipia, in Cod. Theod.* 34 Decurionum bona vendi non poſſunt a creditore, niſi cauſa probata apud acta præſidis. vid. *l. 2. ſupr. de offic. ejus qui vice alicuj. jud.* adde *l. 15. §. in fraudem. 2. ff. ad municip.* Caſſiodorum 7. & 8. *Novellam Majorani de curialibus.* Goth. Vid. *Vaſq. Illuſtr. controv. c. 61. n. 2.* Anſ. 35 Nullus eſt actus, qui legis forma neglecta ſit. *l. conſtitutionib.* 24. *ff. ad municip.* 36 Forma neglecta actus infirmus, nempe quia informis. 37 Decreti interpoſitio efficit, ut ne ſit locus *l. 2. ſupr. de reſcind. vend.* 38 Abſunt *a C. Theod.* 39 Deeſt *in Cod. Theod.* 40 *Diſtrahat, in C. Theod.* 41 Emens fundum decurionis, cauſa non probata apud acta præſidis, pretium amittit, *ut hic*, ſimiles caſus vide *in l. 7. infr. de agr. & cenſ. l. 11. tit. 47. l. ult. infr. de fundis rei privatæ. l. 11. tit.* 65. Goth. Qua eadem pœna plectitur is quoque, qui emerit capite cenſitos ſine terra, *l. 7. infr. de agr. & cenſ.* nam & hoc caſu reip. intereſt, ut cenſiti terræ ſuæ adhæreant; ut illo, uti curiales ſua teneant, ne patrimonii diſſipatione ad munera civilia minus reddantur idonei. & quod in his, idem obtinet in eo, qui dempto canone, quod fit illicite, prædium dominicum emerit, *l. ult. infr. de fund. rei priv.* non obtinet in vicano vicani prædium emente; quoniam is pretii deductionem habet, *l. 1. infr. non lic. hab. mer.* ſed cui illis caſibus cedet pretium, venditorine, ut ita ex mala fide ſua lucrum faciat? minime quidem: ſed, ut Accurſio recte placuit, inferetur ærario. *arg. d. l. 7. de agr. & cenſ. & l. pen. ſupr. de reſcind. vend.* Mod. 42 In emptionibus, quæ nullæ ſunt, emptor fructus non lucratur. 43 Huc pertinet *l. 1. tit. 3. l. 12. C. Theod.* 44 Curiæ rem hereditariam quæſitam nemo emere poteſt, ſine decreto curiæ. 45 Solvere curiæ debitor hereditarius ejuſdem non poteſt, niſi decreto intercedente. 46 *l. 3. in fin. infr. de vendendis rebus civit. l. 11. tit.* 31. 47 Decretum requiritur in alienatione rei hereditariæ curiæ, & in ſolutione hereditariæ rei curiæ facienda. 48 Pretium rei curiæ hereditariæ venditæ, in prædiorum comparationem vertendum, ut ex eorum reditibus onera curiæ ſuſtineantur. 49 Pars videtur eſſe legis alterius hæc conſtitutio, *l. 1. infr. tit. prox. l. 1. Cod. Theod, de impon. lucrat. deſcript.* 50 Ditiores pauperioribus præferuntur. 51 Hanc legem accuſat Juſtin. *Novell.* 38. *in pr.* §. 1. *verſ. Et rurſus.* 52 Olim quælibet *l. 1. C. Theod. hoc tit.* hodie ſola ruſtica. *Mod. l. 22. ſupr. de adminiſt. tutor. verſ. Præcipimus.* 53 Donari poſſunt res curiæ, etſi vendi non poſſint ſine decreto, unde hæc lex mirabilis dicitur *in dict. Novell.* 38. Cauſa tamen differentiæ eſſe poteſt, quod facilius vendamus, quam donemus. Hodie neuter actus valet ſine decreto. *d. Novell.* 38. Imo ne quidem donatio cum decreto valet, *Novell.* 87. Goth. Vid. Decium *ad l. 2. ſi certum petatur. 1. lect. in princ. col. 4. n. 15. & in 2. lect. n.* 19. Fab. de Mont. *in tract. de empt. & vend. in ult. quæſt. 4. quæſt. princ. num.* 21. Alexand. *ad l. ſi filiusfamilias. §. Divi. col. 5. de leg. 1. n.* 22. Forcatulum denique *Necyomant. dial.* 19. Mod. 54 *l. 163. ff. de reg. jur.* 55 Pluribus. 56 Præſumitur emptio & venditio contracta, ubi pretii facta mentio eſt, *ut l. illicitas. 6. ff. de offic. præſidis. l. apud Celſum, §. 31. ff. de doli mali & met. except. l. cum dotem, 10. l. ſi inter virum. 21. ſupr. de jure dotium:* niſi hoc actum ſit in contractu, ut dominium transferatur: tunc enim æſtimatio ſeu pretii mentio emptionem non facit, ſed ut periculum rei transeat in accipientem. Bald. *in l. ſi paſcenda. 8. ſupr. de pactis*, Socinus *regul.* 116. 57 Emptionis. 58 Ratio dubitandi in hac lege. 59 Theatralis liberalitas, largitio curiæ ad theatra. 60 Decretum curiæ ubi exigitur, ex tabella ſeu periculo vel breviculo fieri non debet, ſed viva voce, conſenſu curiæ & ſententia competentis judicis, ne quid pro ſcriptura exceptoribus dari ſit neceſſe. adde *l. 9. §. 2. ff. de off. proconſ.* 61 *l. 59. ſupr. de decurionib.* 62 Oratio in ſpeciem concepta non nimis eſſe poteſt: ut eo facilius tollatur ſophiſtica interpretatio. Dec. *in l. quæ dubitationis tollendæ, 81. ff. de reg. jur.*

TIT. XXXIV.

QUANDO ET QUIBUS QUARTA PARS DEBETUR EX BONIS DECURIONUM, ET DE MODO DISTRIBUTIONIS EORUM.

Si extraneus ſuccedit alicui decurioni, debet curia habere quartam. Bart.

1. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P.

SI decurionum conſortio ſit alienus, qui curiali ſucceſſit: competentis eidem [1] juris ſive ex aſſe, ſive ex parte heres ſit bonorumve poſſeſſor: partem quartam [2] jure optimo a curia peti decernimus. Dat. 5. Id. Jun. CP. FELICE & TAURO CONSS. 428.

Curiales debent habere quartam extraneo ſuccedente curiali, non tamen de ſingulis rebus. Bart.

2. Iidem AA. Apollonio P. P. [3].

MEminimus, nuper emiſſa lege divali [4], portionem quartam de facultatibus curialium fati munus implentium, ex qualibet noviſſima voluntate, vel ab inteſtato etiam, ad quemque (præterquam [5] ſi ad filios [curiales]) deferatur [6] curialium [7] deputaſſe corporibus: ſed multi tanquam corrumpendi totius patrimonii occaſione captata, uniuscujusque rei ſibi particulam [8] vindicando, adeo totas dilacerant facultates, ut dum participibus relictarum opum nocere cupiunt, ſua quoque jura præcipitent: Quorum nimiam licentiam provida diſpoſitione refrenantes [9], ipſis [10] quidem curialibus occupandi ſua auctoritate res mortui, copiam denegamus: heres [11] autem ad quem ab inteſtato, vel ex poſtrema voluntate directis, vel fideicommiſſariis verbis decurrit hereditas, omne [12] patrimonium quod relictum eſt, in partes quatuor dividi procuret: ut rebus totis in [13] ſortium [14] caſum deductis, vel curiæ quadrantis vel heredi aut [15] fideicommiſſario per univerſitatem dodrantis electio ex ſortis felicitate [16] contingat: ita ſcilicet & præfati ſucceſſores, & curia promiſcui rerum dominii liberabuntur incommodo. *Naturale* [17] *quippe vitium eſt negligi quod communiter* [18] *poſſidetur: utque ſe nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur: denique ſuam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ.* Sed ubi quarta pars bonorum mortui curiæ debet offerri: immobiles quidem res quæ [19] nec latere facile poſſunt, nec [20] cuiquam [21] (ſi divulgentur) officiunt, ſub aſpectu etiam curialium æſtimari dividique concedimus: mobiles autem res, vel [22] ſe moventes, vel inſtrumenta vel ſi quid aliud [etiam [23]] in hujuſmodi jure [24] conſiſtat, in medium proferri divulgarique non [25] patimur: ſed juratis [26] ſucceſſoribus, cum apud ſe diligenter æſtimaverint, quæ quantique ſint pretii facultates, credi oportere decernimus. *Quid* [27] *enim tam durum tamque inhumanum eſt, quam publicatione pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere* [28] *divitias?* In exigendis vero debitis, ſi pretium quod pro quarta parte actionum curiæ competit, ſucceſſores præſtare noluerint: cautionibus jurata [29] fide prolatis in medium, unuſquiſque a debitoribus convenientem ſibi exigat portionem. Æque ex diverſo æs alienum, ſi cui defunctus fuerat obligatus, tam iidem ſucceſſores, quam curia pro ſua ſorte [30] reſtituere compellantur. Quod ſi ſæpe dicti ſucceſſores ſacramentum ſibi crediderint excuſandum: tunc vero ad ſimilitudinem rerum immobilium diligentior [31] curialibus omnium rerum indago præbebitur, ſcilicet ut univerſis mortui facultatibus in aperto propoſitis, vel æſtimatio rerum, vel diviſio [32] ſub præſentia curialium celebretur. In omnibus autem caſibus ubi quarta pars curiæ competit, transactiones interpoſitas firmas illibataſque manere decernimus. §. 1. Ad [33] filiorum [34] vero [curialium [35], vel nepotum, ac pronepotum, ſcilicet decurionum] ſimilitudinem [36], ad quos integras opes pervenire cenſuimus, filiam, quinetiam neptem, proneptemve principali ejuſdem civitatis unde pater, avus, vel proavus oritur, nuptam, rerum vel ab inteſtato, vel ex diſpoſitione ultimæ voluntatis quæſitarum, integrum nullaque parte minutum dominium habere ſancimus. Quod ſi poſt parentum obitum inveniantur innuptæ vel viduæ, in impuberibus quidem poſt transactam pubertatem, in aliis vero quæ pubertatem exceſſerint [37], vel etiam in viduis poſt mortem parentis triennium [38] duntaxat volumus expectari: ut interim quarta portio ſuſpenſa, aut apud eam, ſi in matrimonio curialis ejuſdem civitatis fuerit collocata, perpetuo jure permaneat: vel ſi intra id tempus [39] alienum [ab [40]] eadem curia ſortiatur maritum, penituſve nupta non fuerit, memorata pars [totius [41] ſubſtantiæ] curiæ cum triennii tam urbanorum quam ruſticorum prædiorum dumtaxat fructibus addicatur: ita tamen, ut [& [42] optionis conditio in offerendis rebus quartæ partis vel dodrantis [43]] & ſacramenti tam de quantitate quam de æſtimatione rerum mobilium, deque actionibus inferendis, vel excipiendis (ſicut in extraneis perſonis dictum eſt) ratio conſervetur. Sed & ſi mater mortui vel avia tempore quo filius nepoſve moritur in conjugio ejuſdem civitatis curialis inventa fuerit: ne ipſas quidem patimur quartæ portionis ſubire jacturam. Extraneum quinetiam heredem propinquitatis quidem jure diſcretum, curiæ tamen [ejuſdem civitatis [44]] obnoxium ſupradictæ portionis diſpendio liberamus. Dat. 7. Idib. Mart. *Conſtantinop.* DIOSCORO & EUDOXIO [45] CONSS. 442.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SI quis curialibus [46] muneribus obnoxius, uno forte vel pluribus filiis vel filialibus derelictis, filio quidem vel filiis ſubſtantiæ ſuæ partem minimam dereliquerit, (eam tamen quæ [47] excludere eos ab inofficioſi querela poteſt) aliis autem ſuam ſubſtantiam dereliquit, ut ex hac patrimonii diſtributione apud filium [48] quidem vel filios curiales minima pars ſubſtantiæ remaneat: totum autem curiale munus maſculis immineat, ſive filii ſint, ſive nepotes vel pronepotes, curiali tamen conditioni obnoxii: ſancimus hujuſmodi iniquitatem reſecari, & non minus quarta portione in maſculos poſſe teſtatorem transmittere: ſive unus eſt filius, ſive plures: nulla diminutione ex permixtione ſororum eis [49] facienda: ut non ſolum corporibus, ſed etiam ſubſtantiis laborantes, poſſint curiale habere conſortium. † Ad hoc ſancimus, ſi quis curialis, filiabus pluribus derelictis, ab hac luce fuerit ſubtractus: quarum una curiali ejuſdem nupſerit civitatis: aliis filiabus quæ ad hujuſmodi vota non migraverint, vel extraneis in reliquam partem heredibus derelictis, non videri curiæ ex ſententia legis Theodoſianæ [50] ad Apollonium ſcriptæ ſatisfieri: ſed omnino [51] quartam [52] partem patrimonii curia conſequatur: ſive uni filiæ quæ curialibus nuptiis copulata ſit, deputanda eſt: ſive ex aliis heredibus colligenda: filia proculdubio quæ curiali nupſit immuni ab hujuſmodi quartæ datione ſervanda: cum per maritum ejus quantum ad ipſius perſonam [53] curiæ ſit ſatisfactum: & hoc obſervari [54] non ſolum ſi ultimo elogio condito teſtator curialis deceſſerit: ſed etiam ſi inteſtatus [55] diem ſuum obierit. [Sed &] ſi quid [56] minus [57] quarta [parte] fuerit, vel minime derelictum: hoc modis omnibus filio curiali, vel filiæ quæ nupta eſt ejuſdem civitatis decurioni, ex ſubſtantia patris curialis modis omnibus, vel deputari, vel adimpleri: nullo obſtaculo curiæ opponendo, ſi ſecundum prædictam [58] legem filius, nepos, pronepos, pater, avus, proavus, curiali morienti fuerint derelicti, qui nexibus curialibus ex quacunque, vel dignitate, vel occaſione fuerint abſoluti. In hoc enim Theodoſianæ [59] legi apertiſſime volumus eſſe derogatum. Et generaliter definimus ex omni cauſa, neque maſculos liberos, neque filias copulatas matrimonio curialis, minus quarta parentis ſubſtantiæ habere: vel non extantibus filiis, vel filiabus, ſed aliis heredibus, ipſam curiam ſecundum anteriores leges quartæ curialis morientis habere ſolatium. Dat. Kal. Januar. CP. JUSTINIANO A. II. CONS. 528. [60].

TIT. XXXV.

DE IMPONENDA LUCRATIVA [61] DESCRIPTIONE.

1. Impp. THEOD. & VALENT. AA. ad Apollonium Præfectum prætorio.

DEſcriptionis [62] onere ſiliquarum [63] quatuor, quas [ex [64]] lucrativis jugationibus tantum, non humanis, vel animalium cenſibus, neque mobilibus rebus jubemus indici: & ſi curiales non ſint, majores, ac [65] poſteros liberamus: ut ſi pater, avus, proavus, filio, nepoti, pronepoti, vel filiæ, nepti, proneptive (nec intereſt [66] nuptæ ſint curialibus necne) poſtrema voluntate, vel inter vivos etiam donatione quicquam de ſuis opibus largiatur, memoratæ deſcriptionis ceſſet indictio. Æque [67] ex diverſo, ſi poſteriores ad majores prædicta ſibi conſanguinitate [68] devinctos præfatis titulis ſuas conferant facultates: nullius [69] acceſſione [70] gravaminis hujuſmodi liberalitas oneretur: *In tam* [71] *enim neceſſariis* [72] *ſibi conjunctiſque perſonis, ſub liberalitatis appellatione debitum naturale perſolvitur.* Cujus auctoritatem

1 Ejuſdem. 2 Quartam hereditatis defuncti decurionis, extraneus ejus heres curiæ præſtare debet. In quibuſdam locis Germaniæ extranei ſive peregrini vel forenſes quicunque heredes fiunt, quartam hujuſmodi præſtare tenentur. 3 Novella Theodoſii quæ integra hodie extat in breviario Alarici, *tit. de bon. decur.* 4 Id eſt, *l. 1. ſ. h. t.* 5 Id abrogatum videtur *Nov. 38. pr. §. 2. in fin.* 6 *Deferatur, in N. T. de bonis decurionum & natural. filiis eorum.* 7 *Curiarum, in Nov. Theod* 8 Quarta debita curiæ ex univerſo ſumitur, non ex ſingulis rebus. 9 Al. *frænantes, ut in Nov. Th. h. t.* 10 Al. *ipſius.* 11 Hic, ut etiam J. ſæpius, quædam e *C. Theod.* immutata ſunt: quem vide. 12 Heres extraneus bona defuncti decurionis dividit in quatuor partes & is eligit, cui ſors dederit. 13 Sorti electio committitur. Is eligit, cui ſors dederit, *ut hic*, unde hic notat Cujac. fratres in diviſione hereditatis, heredes & fideicommiſſarios, ſortem totam forte commiſiſſe, vel inter fratres majorem diviſiſſe, minorem vero elegiſſe. Hujuſmodi legem refert Senec. 6. *declam.* & Sulpit. Victor. *in Inſt. oratoriis.* quod & hodie fit multis locis: de quo genere diviſionis vide Mynſinger. 4. *obſ.* 37. *l. 3. ſ. comm. de leg.* Diviſio fit ita forte multis locis, forte vel micando digitis. §. *optionis.* 23. *Inſt. de legat. ubi* Theophil. *l. ſed cum ambo.* 14. *ff. de jud.* Olim dandis in judicibus & dijudicando utra pars potior deberet dicere, ſorte res dirimebatur. ita proles adſcriptitia inter adſcriptitiorum duorum dominos ſorte dividitur. *Nov.* 156. 14 *In ſortitum caſumque*, recte, & ſic legitur in *Nov. Theod.* 15 *Ac, in Nov. Theod.* 16 *Conditione, in Nov. Theod.* 17 Vitium quoddam a natura, ſubaudi, corrupta. 18 Communia naturali jure negliguntur, *ut hic*, qua ratione Ariſt. 2. *Polit.* 1. Communionis regulam introductam a Socrate in ſua Repub. reprehendit, ἥκιστα γὰρ ἐπιμελεῖν τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν &c. ibid. vide: hæc autem adverſus Anabaptiſtas, communionis patronos, poſſis recte uſurpare. 19 Immobilia latere non poſſunt, apparent enim facile, non occultantur, ut mobilia. 20 Immobilium bonorum poſſeſſionis evulgatio non officit poſſeſſori. 21 *Quicquam, in Nov. Theod.* 22 Mobilia ab alio: moventia a ſe ipſis moventur, ut animalia: Immobilia a nullo. *l. 93. D. de verb. ſign.* 23 Al. *deeſt.* 24 Rerum aliæ immobiles, aliæ ſe moventes, aliæ jura. 25 Statutum tyrannicum eſt, ut quiſque mobilium ſuorum numerum profiteri apud acta & publice cogatur. 26 Vide Wurmſerum 1. *pract.* 26. *cap.* 2. 27 Ea re putant quædam invecta in urbanum ædificium facile obligari: in ruſticum non æque. Doct. *ad l. 4. ff. de pact.* 28 *Patere, in Nov. Theod. & quibus. lib.* 29 Vide Wurmſ. *in pract.* 38. *cap.* 8. 30 *Per ſuam ſortem, in Nov. Theod.* 31 *Diligenter, in Nov. Theod.* 32 *Diviſio, prout ſucceſſores elegerint, in Nov. Theod.* 33 Deſcendentes maſculi curiales, vel fœminæ nuptæ curialibus, vel extranei curiales ſuccedant in totum. [illegible] 34 Id

abrogatum, *Nov. Theod.* 35 Incluſa abſunt a *Nov. Theod.* Hic autem *ut ſ. in pr. curiales* addidit Trib. adjecit etiam *curialium & ſcil. decurionum*, ut hæc lex congrueret cum *Juſtin. l. J. prox.* 36 *Numerum, in Nov. Theod.* 37 *Adeptæ ſunt, in Nov. Theod.* 38 Conditio *ſi nupſerit*, tempus habet limitatum. 39 *Temporis, in Nov. Theod.* 40 Abeſt a *Nov. Theod. & quibus. lib.* 41 Abſunt a *Nov. Theod.* 42 Incluſa deſunt in omnibus manuſcriptis & perperam inſerta ſunt ex libro *Nov. Theod.* vide Cujac. 3. *Inſt.* 1. 43 Al. *ſine ejus pretio.* 44 Abſunt a *Nov. Theod.* 45 VV. CC. additur *in Nov. Theod.* 46 Hujus ſuæ legis ſententiam Græce recitat idem Juſtinianus, *in Novell.* 38. Cont. 47 Adde *Novell.* 38. *cap.* 3. 48 Ad filium. 49 Sororis ejus. 50 Id eſt, ſuperioris. 51 Omnimodo. 52 Legitima liberorum curialium, olim quarta bonorum omnium: reliquorum liberorum quarta legitimæ portionis, *ut hic.* Hodie curialibus plus debetur, quam cæteris. Curialibus dodrans omnium bonorum: cæteris triens, vel ſemis legitimæ partis. *Nov. de trient. & ſemiſſ.* 18. *c.* 2. *Nov. de decurion.* 38. *c.* 3. Mutatur itaque novo jure quadrans in dodrantem. 53 Hujus perſonæ. 54 Servari. 55 Inteſtato. 56 Siquidem. 57 Hodie dodrans. *Nov.* 38. *c.* 3. 58 Vide *Nov. Theod.* ſi filius, nepos, pronepos, avus, pater, proavus non curialis curiali ſucceſſerit, curiæ nihil debetur. 59 *l. 2. ſupr. h. t.* 60 Videtur hic deeſſe Græca conſtitutio, cujus meminit *Nov.* 18. *c.* 2. ut curiales filii ſuis dodrantem relinquant. *Cont.*

61 Lucrativi tituli qui ſint, vide *infr. h. t.* De lucrativa deſcriptione adde *l. 1. ſupr. de apochis tit.* 22. *h. lib. l. 16. C. Theod. de agentib. in reb.* 62 Sumpta eſt hæc l. ex eadem Nov. Theodoſii, ex qua ſuperior, *l. meminimus. ſupr. tit. prox.* ex libro *Novell. Theod. qui hodie extat.* 63 Siliquarum onus (quod & ſiliquaticum) præſtatur ex ſingulis jugationibus, non ex capitibus vel rebus mobilibus, qua in re derogatur *l. 1. C. Theod. hoc tit.* adde *Novell.* 131. *cap.* 5. *in fin.* 64 Deeſt *ex, in Nov. Theod.* 65 Al. *ad.* 66 Al. *refert. ut in Nov. Theod.* 67 *Æque diu.* al. *deeſt*, ex. 68 Conſanguinitas hic pro cognatione accipitur, cum tamen fraternitatem ſignificet, & in aliis locis conſanguinei dicantur fratres. Conſanguinei fratres ex eodem patre, germani, fratres legitimi. *l. 32. ff. de leg.* 3. Conſanguinitas, fraternitas. Hic tamen generaliter pro cognatis accipit conſanguinitatem, ut *l. 1. C. Theod. de legit. heredit.* ut Lycophron ὁμαίμους & ἀνδραιμους. vid. Cujac. 15. *obſerv.* 36. 69 Vectigal ex lucro ſolvendum non ſolvitur ex hereditate patris ſeu a patre delata. vide *l. 9. ff. pro ſocio.* 70 Eadem ratio de viceſima remiſſa domeſticis heredibus eſt apud Plin. in *Paneg.* 71 *Ita enim in Nov. Theod.* 72 Lucrativa [illegible]

juris pariter valere ſancimus, etiam ſi ab inteſtato ſuccedant ſibi præfiniti [1] generis ordine curiali. Ex his enim ſucceſſionibus maxime debiti potius ſolutio quam muneris oblatio comprobatur, quæ non lucrandi gentibus etiam dominis ipſa propinquitatis ferre deferuntur. Cæteri [2] vero licet quadam inter ſe cognatione jungantur: nunquam tamen curiale prædium ſine prædicto onere lucrabuntur: niſi ſi forte ſui fuerunt res ceſſerit, ejuſdem civitatis ordini ſit obſtrictus: qui licet inter extraneos numeretur, vacuum tamen a functione quod datum eſt, conſequatur: nam cum perſonæ conditio non mutetur, nec rei quidem ſtatum convenit immutari. † *Lucrativas* [3] vero res eas tantum volumus appellari, atque a prædicto deſcriptionis gravamine excipere, quæ hereditatis, legati, fideicommiſſi jure, mortis cauſa donationis [4], vel cujuſlibet poſtremæ voluntatis arbitrio ad quempiam delabuntur. Inter vivos etiam donatio ſimplici liberalitate confecta, lucrativæ merebitur & nomen, & ſarcinam. † Si vero, vel ſocer futurus, filii, vel nepotis, vel pronepotis ſponſæ affinitatis coeundæ cauſa donaverit: vel parens etiam filiam, vel neptem, vel proneptem curiali, ſeu extraneo nubentem donaverit, licet caſus eventus [5], res ejus, cui data eſt, vertatur ad lucrum, nec [6] inter lucrativas numerabitur, nec deſcriptionis oneri ſubjacebit. *Nec enim juris optimi eſt matrimonium* [7], *cum tot* [8] *tantiſque ſit difficultatibus oppreſſum, adverſitati etiam cumulare ponderibus.* † Res vero, quæ memoratis cauſis lucrativæ ſemel nomen exordiumque fortita eſt, licet ab eo, qui ſuſceperat, ad alterum emptionis, vel cujuſcunque contractus jure migraverit, cum prædicto deſcriptionis gravamine proculdubio transferetur: ut vel ſciens ſibi imputet, qui accepit oneratam: vel ſi ignoraverit, quod intereſt, conſequatur. Contraque ſi cujuſlibet contractus exordio lucrativæ nomen evaſerit: & ſi poſtea lucri titulo in dominium alicujus ceciderit, ſarcinam memoratæ deſcriptionis effugiet. Nulla enim in hujuſcemodi cauſis confuſionis intercedit occaſio, cum ad [9] primordium tituli poſterior ſemper formetur eventus: niſi forte res decurionis, quæ ad eum cujuſlibet mercimonii jure pervenerit, ad alterum fuerit poſtremæ ejus voluntate, vel ab inteſtato, vel inter vivos donatione tranſlata: tunc enim quia ſemel in perſonam cecidit principalis (veterum titulorum nequaquam ratione perſpecta) conditionem, & onus merebitur lucrativæ. Dat. 7. Id. Mart. *Conſtantinop.* DIOSCORO & EUDOXIO VV. CC. CONSS. 442.

TIT. XXXVI.
DE PRÆBENDO SALARIO [10].

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Marcellinum Corr. [11] poſt alia [12].

NUlli [13] ſalarium [14] tribuatur ex juribus [15] reipublicæ, niſi ei qui jubentibus nobis ſpecialiter fuerit conſecutus [16]. Datum 5. Non. Oct. *Conſtantinop.* LIMENIO & CATULINO CONSS. 349.

TIT. XXXVII.
SI CURIALIS RELICTA CIVITATE RUS HABITARE MALUERIT.

Omnes curiales revocantur ad civitatem, & ad curiam, & locus, in quo rure habitant, publicatur. Bart.

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano P. P. poſt alia [17].

CUriales omnes jubemus interminatione moneri, ne [18] civitates fugiant, aut deſerant rus habitandi cauſa: fundum quem [19] civitati prætulerint, ſcientes fiſco eſſe ſociandum: eoque rure [20] ſe carituros, cujus cauſa impios [21] ſe patriam vitando, demonſtraverint. Dat. 18. Kal. Januar. *Conſtantinop.* ARCAD. IV. & HONOR. III. AA. CONSS. 396.

TIT. XXXVIII.
DE [22] MUNICIPIBUS [ET [23]] ORIGINARIIS [24].

In loco originis & incolatus cogitur quis ſubire munera. Bart.

1. Imp. ALEXANDER, al. Antoninus, A. [25] Silvano.

CUm te Byblium [26] origine, incolam autem apud Beritios eſſe proponas, merito apud utraſque [27] civitates muneribus fungi compelleris.

2. Imp. GORDIANUS A. Frontoni.

SI ut proponis, ea, quæ ex cauſa fideicommiſſi te manumiſit, ab ea libertatem juſtam fuerit conſecuta, quæ originem ex provincia Aquitania [28] ducebat: tu quoque ejus conditionis, ejuſque civitatis jus obtines, unde, quæ te manumiſit, fuit. Eorum enim conditionem ſequi ex [29] cauſa fideicommiſſi manumiſſos [30] pridem placuit, qui libertatem præſtiterint, non qui dari rogaverint.

Filius ſequitur originem patris, & non matris, niſi ex alia cauſa civitati matris ſit adſtrictus. Bart.

3. Imp. PHILIPPUS A. Patroclo.

FIlios apud originem [31] patris, non in materna civitate, etſi ibi nati ſint (ſi modo non domiciliis retineantur) ad honores, ſeu munera poſſe compelli, explorati juris eſt.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Secundo.

ORigine [32] propria [33] neminem [34] poſſe voluntate ſua eximi manifeſtum eſt.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum Vic. [35] urbis.

SI quis [36] cum ex majore, vel ex minore civitate originem ducit, eandem evitare ſtudens [37], ad alienam ſe civitatem incolatus [38] occaſione contulerit: & ſuper hoc, vel preces dare tentaverit, vel qualibet fraude niſus, ut originem propriæ civitatis eludat: duarum civitatum decurionatus onera ſuſtineat, & in utraque voluntatis [39] & in una originis [40] gratia. PP. 8. Kalend. Januar. PAULINO, & JULIANO CONSS. 325.

TIT. XXXIX.
DE [41] INCOLIS [42], ET UBI QUIS DOMICILIUM HABERE VIDETUR, ET DE HIS, QUI STUDIORUM CAUSA IN ALIENA CIVITATE DEGUNT.

Poſtquam quis tranſtulit incolatum, non poteſt revocari ad munera. Bart.

1. Imp. ANTONINUS A. Paulo [43].

NOn [44] tibi obeſt, ſi cum incola eſſes, aliquod munus ſuſcepiſti; modo [45] ſi antequam ad alios honores vocareris, domicilium [46] tranſtuliſti.

Scholares non dicuntur conſtituere domicilium, ubi ſtudent, niſi X. annis ſteterint, vel alia ratione conſtituerint. Bart.

2. Imp. ALEXANDER A. Criſpo.

NEc ipſi [47], qui ſtudiorum [48] cauſa aliquo loco [49] morantur [50], domicilium ibi habere creduntur, niſi decem [51] annis tranſactis eo loco ſedes ſibi conſtituerint, ſecundum epiſtolam Divi Hadriani: nec pater [qui] propter filium ſtudentem frequentius ad eum commeat. Sed ſi aliis rationibus domicilium in ſplendidiſſima civitate Laodicenorum [52] habere probatus fueris [53], mendacium [54], quominus muneribus fungaris [55], non proderit.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Alexandro.

ESt verum eos, qui in territorio alicujus civitatis commorantur, velut [56] incolas ad ſubeunda [57] munera, vel ad capiendos [58] honores non adſtringi [59].

Propter ſolam poſſeſſionem quis non revocatur ad munera. Bart.

4. Iidem AA. & CC. Alexandro.

1 *Præfati*, *in Nov. Th.* 2 *Cæterum*, *in Nov. Theod.* 3 Lucrativa cauſa eſt hereditas, legatum, fideicommiſſum, mortis cauſa donatio, quodque ultima quavis voluntate ad nos venit, *ut hic*. Non lucrativa, dos, donatio propter nuptias, Emptio, Permutatio & ſimiles. vide Decium *ad l.* 33. *ff. de regulis jur.* 4 Al. *donatione*, *ut in Nov. Theod.* 5 *Caſus eventuſve ejus*, *cui. al.* additur *mortis vel divortii*, ſed præter auctoritatem *veter. lib.* 6 Dos non eſt titulus lucrativus marito eam accipienti: ſed mulieri tantum, cui quis dotem conſtituit. *l. ult. §. ſi a ſocero. in fin. ff. quæ in fraudem creditor.* 7 Matrimonium multis difficultatibus opprimitur. 8 Afflictis nova afflictio non eſt imponenda. 9 Ad primordium tituli poſterior eventus formatur. Inde notant, lucrativo titulo rem non accipere, qui eam ab ingrato jure ſuo revocat.

10 Salaria quæ ad victum dantur. vide *l.* 4. *§.* 2. *ff. de decretis*, *l.* 1. *l.* 17. *ſupr. mandati. l.* 7. *l.* 56. *§. pen. ff. mandati.* 11 Al. *Comitis Orientis.* 12 *C. Theod. lib.* 12. *tit.* 2. *l.* 1. 13 Hanc legem ex ſerie titulorum recte ſic accipit Cujacius, ut non poſſint decuriones cuiquam ſalarium conſtituere ſine juſſu principis. 14 Salarium decuriones ex publico conſtituere non poſſunt, ſine principis voluntate: excipe tamen caſus *l.* 4. *§.* 2. *ff. de decretis.* 15 *Viribus*, *in C. Theod.* 16 Excipe tamen quoſdam caſus, de quibus in *l.* 4. *ff. de decr. ab ord. fac.* & vide Menoch. *de arb. jud. lib.* 1. *quæſt.* 46. *ſalaria* autem dicta fortaſſe, quod ea percipientes inde ſe alant. alibi dicta *annonaria commoda.* Græci interpretantur τὰ διδόμενα εἰς τροφήν, ſive potius & ſæpius σιτηρέσια & ὀψώνια. Mod.

17 *C. Theod.* 12. 18. 2. 18 Cur fugiebant patriam civitatemque ſuam? Non tam Philoſophiæ ſtudio, ut in umbra ſederent, quam quod curiæ munus onus quoque eſſet: & curialium, utpote primorum urbis, præſentia civitates, urbes ac municipia ornari & augeri Principes ipſi cuperent & ad municipiorum cultum id pertinere putarent. Ad hunc pene modum nobilibus Italis neceſſitas a quibuſdam principibus imponitur hodie, certis anni temporibus in urbibus morandi, quod & ad urbium ipſarum ſplendorem, & vectigalia ſimul augenda ſatis excogitatum ingenioſe. 19 Ruſtica vita urbanæ non præferenda. Romani quidem ſenatores in agris ſæpe verſati: in urbem tamen accurrebant acciti: quin & ipſos viatores ſæpe antevertebant. 20 Al. *jure*, ſed rectior eſt excuſa lectio, quæ confirmatur *C. Theod.* 21 Patriam qui vitat, impius. *l. penult. ſupr. de reſcind. vend.* Ita *Apoſtolo* qui ſuorum curam non habet, impius eſt.

22 *D. lib.* 50. *tit.* 1. ‖. *lib.* 1. *tit.* 55. Goth. Tria ſunt, quæ faciunt municipes. Nativitas, Manumiſſio, Adoptio, *l. cives.* Ĵ. *tit. ſeq. l.* 1. *ff. ad mun.* quæ originis nomine continentur. *l. privilegio.* Ĵ. *tit. ſeq.* nam originales ſive originarii ſunt non nati tantum, ſed etiam manumiſſi & adoptati. *l. cum neque.* Ĵ. *tit. ſeq.* Sunt & alii municipes voluntarii, *l.* 3. Ĵ. *de iis*, *qui ſpont. mun. ſuſcipiunt:* quos facit adlectio vel incolatus. *l. cives. tit. ſeq. l. filii. §. municipes. ff. ad munic.* Mod. 23 *Al.* deeſt, &c. 24 Originarii opponuntur voluntariis, de quibus *in l.* 22. *§.* 2. *ff. ad municipal.* 25 Antoninus Aug. ſic in meo manuſc. *Cont.* 26 Byblus, urbs eſt in Phœnicia, non longe a Libano & Berytho. 27 Ad munera quis vocatur, vel ut originarius, vel ut incola. *l.* 29. *ff. ad municipalem.* 28 Aquitania duplex: Primæ metropolis Bituriges, ſecundæ Burdigala. Antonini *Itinerarium.* 29 Liberti patronorum originem ſequuntur, ſunt enim ejus loci cives, cujus eſt eorum patronus. dixi ad *l.* 6. *in fin. l.* 29. *in pr. ff. h. t.* adde, quæ de libertis ſcripſi ad *l.* 108. *ff. de cond. & dem.* 30 Manumiſſus originem manumittentis ſequitur. *l.* 17. *§. ex cauſa.* 8. *ff. ad municip.* 31 Originem patris, non matris in honoribus gerendis ſequuntur liberi. *l.* 1. *§. qui ex duob. ff. ad municip.* 32 Originis jus nemo mutare poteſt, *ut hic*, *l. ult. infr. h. t.* incolatus poteſt. Cur? illud naturale, hoc civile jus eſt. Unde ſequitur unum & eundem, duarum civitatum municipem eſſe poſſe, quia videlicet originarius eſt: alterius vero incola. *l. ult. infr. h. t.* adde *l.* 11. *ff. de ſenator.* 33 Al. *Origini propriæ &c.* Hujus autem legis ratio eſt, quod jus originis naturale ſit. 34 Imo uxores eximuntur. *l.* 22. *§.* 1. *l.* 32. *l.* 37. *in fin. l. ult. §.* 3. *ff. ad municip.* 35 Comitem orientis. 36 *Ex lib.* 12. *tit.* 1. *l.* 12. *C. Theod.* al. *qui.* 37 Al. *ſtudeat.* 38 Originem incolatus occaſione nemo poteſt mutare. *l.* 22. *§.* 2. *ff. ad municip.* 39 Al. *voluntate.* 40 Voluntaria non eſt origo, ſed neceſſaria: Incolatus voluntarius eſt: inde municipum alii origine, alii voluntate municipes ſunt.

41 *D. lib.* 50. *tit.* 1. *Eclog. lib.* 54. *tit.* 1. 42 Incola quid? vide *in l.* 239. *§. incola. ff. de verb. ſign.* Goth. Incolas domicilium facit, non domus, aut poſſeſſio ſola. Interdum autem incola pro inquilino, qui proprie ἔνοικος, ponitur. Incola μέτοικος vel πάροικος. ut *in l.* 1. *ſupr. de falſ. mon.* vide & Dorotheum *ad l.* 27. *§. Proculus. ff. de leg. Aquil.* Mod. 43 Paulino. 44 Si is, qui quodam in loco fuit incola, munuſque ſuſtinuit, antequam ad alium honorem vocaretur, domicilium ſuum tranſtulit: non amplius eo loco munera ſubire cogitur. Nam tranſlatio domicilii ἀρχαιογονίαν, id eſt, originem quidem non mutat, ſed μετοίκιον incolatum. *Synopſ. Baſil.* 54. *tit.* 1. *ex lib.* 55. *tit.* 2. *c.* 1. ita qui ſuſceptum munus nondum implevit, renunciare incolatui non poteſt. *l. incola.* 34. *ff. h. t.* 45 *l.* 34. *ff. ad munic.* 46 *l.* 31. *ff. ad munic.* 47 Ipſis. 48 Studiis qui dant operam, intra decennium pro incolis non habentur. *l.* 5. *§. domum.* 2. *ff. de injuriis.* poſt decennium jam non diſcipuli, ſed incolæ cenſentur, *ut hic*, Seneca 19. Epiſtolarum: *Non novimus quoſdam, qui multis apud Philoſophiam annis perſederint & ne colorem quidem dixerint? Quidni noverim? Pertinaciſſimos quidem & aſſiduos. quos ego non diſcipulos philoſophorum, ſed inquilinos voco.* 49 Loci. 50 O ποιήσας ἐν πόλει δέκα ἔτη. vide *l.* 78. *ff. de leg.* 3. Incolatus & domicilium decem annis præſcribitur & eo tempore fit quis incola & domicilium conſtituiſſe intelligitur, & conſequenter civitatem, jus, & privilegium civitatis adquiſiviſſe, ut ita civis verus ſit, & fictus originarius. Bart. *rubr. de præſcr.* Balb. 5. *de præſcr.* 5. *qu.* 14. 51 Congruit *lex* 1. Ĵ. *qui ætate vel profeſſ. h. l. tit.* 49. I. G. 52 Laodicei (*Laodiceorum* enim legendum eſt, non *Laudicinorum*, *teſte Alc. in hanc l.*) a Laodicea dicti ſunt, de qua Plin. *lib.* 5. *cap.* 29. 53 Al. *fuerit.* 54 Id eſt, falſa adſeveratio. 55 Al. *fungatur.* 56 *l.* 35. *D. ad munic.* Imo ut incolas. *l.* 239. *§. incola. ff. de verb. ſign.* 57 Obeunda. 58 Capeſſendos. 59 Qui in territorio & finibus alicujus civitatis ſedes poſuit, licet in civitate non moretur, incola eſt ejus civitatis, *l. pupillus. §. incola. ff. de verb. ſign.* nec obſtat *l. εἰδέναι*, *ff. ad munic.* quæ loquitur de eo, qui agrum tantummodo poſſidet, ut *l. prox.* Ĵ. nec civitatis præcipuis utitur, i. e. foro, balneo, templo, ſpectaculis. *Mod.*

CUm neque originales [1], neque incolas vos eſſe memoratis: ob [2] ſolam [3] domus, vel poſſeſſionis, licet ex ſubſtantia decurionis acquiſita ſit, cauſam, publici juris auctoritas muneribus ſubjugari vos non ſinet.

5. Iidem AA. & CC. Maximo [4].

SI in [5] patria uxoris tuæ, vel qualibet alia domicilium defixiſti, incolatus jure ultro te ejuſdem civitatis muneribus obligaſti.

Origo & domicilium facit quem vocari ad munera, niſi per privilegium contrarium ſit expreſſum. Bart.

6. Iidem AA. & CC. Marcellino [6].

PRivilegio ſpeciali civitatis non interveniente, tamen originis ratione [7], ac [8] domicilii voluntate [9] ad munera civilia quemque vocari certiſſimum eſt.

7. Iidem AA. & CC. Aurelio.

CIves quidem origo [10], manumiſſio, allectio [11], vel [12] adoptio: *incolas* [13] vero (ſicut & Divus Hadrianus Edicto ſuo manifeſtiſſime declaravit) domicilium facit. Et in eodem [14] loco ſingulos habere domicilium non ambigitur, ubi [15] quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam [16] conſtituit, unde [rurſus [17]] non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: unde cum profectus eſt, peregrinari videtur: quod [18] ſi rediit, peregrinari jam deſtitit.

8. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. [19] ad Senatum.

SEnatores [20] in ſacratiſſima [21] urbe domicilium dignitatis habere videntur. Kalend. Mart. VALENTIN. A. & NEOTERIO CONSS. 390.

Mulieres ex perſona maritorum ſortiuntur dignitates, & forum. Bart.

9. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Martiano, Comiti Orientis [22].

MUlieres honore [23] maritorum erigimus, [& [24]] genere nobilitamus [25], & forum [26] ex eorum perſona [27] ſtatuimus. [Sin autem minoris ordinis virum poſtea ſortitæ fuerint: priore dignitate privatæ, poſterioris mariti ſequentur conditionem [28]:] & [29] domicilium [30] mutamus. Dat. 4. Kalend. Februar. CP. ARCADIO II. & RUFINO CONSS. 392.

TIT. XL.
DE MUNERIBUS [31] ET HONORIBUS NON CONTINUANDIS INTER PATREM ET FILIUM ET DE INTERVALLIS [32].

Continuatio honorum, & munerum impeditur in his, qui ſunt idem, vel quaſi: intervalla vero in his tantum qui ſint idem vere. Bart.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Septimio [33] Zenoni.

SIcut honores & munera cum pater, & filius [34] decuriones ſunt [35], in [36] eadem domo continuari non oportet: ita vacationum conceſſa tempora [37] non [38] aliis prodeſſe poſſunt, quam [his], qui ad eoſdem [39], vel alios honores eademque, vel alia munera denuo vocantur. † Pro [40] infante vero filio quem decurionem eſſe voluiſti, quanquam fidem tuam in poſterum adſtrinxeris, tamen onera ſuſtinere non cogeris: cum ad ea [tantum [41]] quæ mandari poſſunt, voluntatem dediſſe videaris.

2. Imp. GORDIANUS A. Cyrillo.

AB honoribus ad honores eoſdem quinquennii [42] datur [43] vacatio, triennii vero, ad alios: Legatione [44] autem perfunctis [45] biennii [46] vacatio conceſſa eſt [47].

Frater propter fratrem non habet vacationem, ſed propter alios idoneos nondum gravatos recte excuſatur. Bart.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. Critiæ [48].

INtervalla temporum, quæ in unius [49] perſona locum habent, fratribus (licet communia poſſideant bona) minime prodeſſe, frequenter conſtitutum eſt. Sane his miſſis [50], qui necdum functi muneribus, ad hæc idonei conſtituti vocari debent, vos ſi ad obſequium civilium munerum repererit paruiſſe; ne interim [51] interpellemini, Præſes provinciæ providebit.

TIT. XLI.
DE MUNERIBUS [52] PATRIMONIORUM.

1. Imp. ANTONINUS A. filio [53].

CIvilia munera per [54] ordinem pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt.

2. Idem A. Materno.

MUnera quæ patrimoniis publicæ utilitatis gratia indicuntur, ab [55] omnibus ſubeunda [56] ſunt.

3. Imp. ALEXANDER A. Attilio.

QUi immunitatem munerum publicorum conſecuti ſunt, onera patrimoniorum ſuſtinere debent [57]; in quibus cauſis, & hoſpites [58] recipiendi ſunt.

Onus alimentandi equos decurionum, eſt patrimoniale. Bart.

4. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Neroni.

NOn videtur abhorrere [59] [a] ratione ſententia, [qua] Præſes provinciæ equos [60] curiales [61] alere, non perſonarum, ſed patrimonii eſſe decrevit: & tamen ſi iniqua [62] eſſet, omiſſo [63] a te appellationis auxilio neceſſario permanet.

Nihil eſt quod tribuat excuſationem a muneribus patrimoniorum. Bart.

5. Imppp. CARUS, CARINUS & NUMERIAN. AAA. Antepiſti.

NEque [64] tempore ætatis, neque numero liberorum a muneribus quæ patrimoniorum ſunt, excuſationem [65] quis habere poteſt.

Philoſophi non debent habere immunitatem a muneribus patrimonialibus. Bart.

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA.

PRofeſſio [66] & [67] deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: nam cum *philoſophum* [68] te eſſe proponas, vinceris avaritia [69] & rapacitate [70]: & onera quæ patrimonio tuo injunguntur, ſolus recuſare conaris: Quod fruſtra te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri.

Minores non excuſantur a muneribus patrimonialibus. Bart.

7. Iidem AA. & CC. Longino.

ETiam *minores* [71] *ætate* patrimoniorum muneribus ſubjugari ſolent. Unde intelligis, te fruſtra plenam immunitatem deſiderare: cum munera quæ impenſas exigunt, ſubire te neceſſe ſit.

8. Iidem AA. & CC. Longino.

NEc protoſtaſiæ [72] vel ſacerdotii [73] vel decaprotiæ [74] munera corporalia ſunt [75]: ſed tantum [76] patrimonii [77] eſſe non ambigitur.

9. Iidem AA. & CC.

PAtrimoniorum munera *mulieres* [78] etiam ſuſtinere debent.

1 O μὴ ἀρχαιογενής, id eſt, qui neque originalis eſt, nec incola, nec domicilium in aliquo loco habet, ſed domum, fundumve tantum poſſidet, munera ſubire non cogitur. *Syn.* 54. *tit.* 2. *cap.* 4. 2 *l.* 17. *§. ſola ratio.* 5. *§. ſola domus.* 13. *ff. ad munic.* Poſſit quis, quo loco habet bona, ejus neque originalis eſſe, neque incola, ideoque nec ejus loci ulla habetur ratio in teſtamento, vide Cujac. 14. *obſervat. cap.* 12. Goth. Vide Teſſaur. *deciſ.* 149. Grivell. *deciſ. Dolan.* 11. Cabedo *deciſ.* 91. Anſ. 3 Al. *domum*, *vel poſſeſſionem:* & poſtea, *cauſa.* 4 Maximæ. 5 Qui domicilium habet in uxoris patria, vel alia quadam civitate, tanquam incola ſuſtinere munera cogatur. *Syn. d. tit.* 25. 6 Marcello. 7 Cujacius emendat, *tantum originis ratione.* hoc autem dici: Niſi ſpecialiter privilegium civitati datum ſit, ut ob ſolam poſſeſſionis cauſam quis ejuſdem civitatis muneribus obligetur, ut *l. libertus. §. ſola ratio. ff. ad munic.* originis tantummodo vel domicilii cauſa muneribus publicis obligamur. *l.* 4. ‖. Mod. 8 *l.* 7. Ĵ. *h. t.* 9 Municipes alii origine, alii voluntate. *l.* 22. *§.* 2. *ff. ad municip.* 10 Civem facit τὸ ἐκεῖθεν ὁρμᾶσθαι, origo ex aliquo loco ducta, ut & manumiſſio ab aliquo facta ex ea civitate oriunda: ſed & τὸ ἐναπογραφῆναι τοῖς πολίταις, adſcriptio in numerum civium: ut & adoptio in eadem civitate inſtituta. *Synopſ. Baſil.* 54. *tit.* 1. *c.* 6. adde *l.* 1. *ff. ad municip.* Goth. Declarationem hujus l. vide apud Johann. Zanger. *de Except. part.* 2. *c.* 1. *num.* 39. 42. Anſ. 11 Adjectio. *l.* 6. *ff. de munerib.* Poteſt ex hoc loco ſatis colligi, civitatem a quoquo mutari poſſe. Tertull. 3. *adverſus Marcionem*, allectio nationum a noviſſimis diebus exorta eſt. 12 Id eſt. 13 Incola loci eſt, qui ibidem domicilium habet, non momentarium, ſed ubi larem & ſummam rerum & fortunarum ſuarum conſtituit: unde non ſit diſceſſurus, niſi neceſſitate avocetur: unde ſi diſcedat, peregrinari incipit: quo ſi rediit, peregrinari deſtitit. adde *l.* 203. *ff. de verb. ſign.* Goth. Porro v. Fel. *ad c. Rodulph. n.* 13. *& ſeq. x. de reſcr.* Jaſ. *ad l. hujuſmodi. §. legatum. n.* 14. *de leg.* 1. *& ad l. ſi is*, *qui pro emptore. n.* 294. *de uſucap.* & Jacobum Menoch. *de arb. jud. lib.* 2. *cent.* 1. *caſ.* 86. *n.* 20. Mod. 14 Al. *& in eo loco.* Cujac. *emend.* & in eo demum loco. 15 Adde *l.* 27. *§.* 1. *ff. ad municip.* 16 Τὴν ὁμάδα. 17 Al. *deeſt.* 18 Al. *quo.* 19 Al. *Conſtantinus A.* 20 *Pars l.* 2. *ſupr. ubi ſenatores vel clariſſimi.* 21 Conſtantinopoli & Romæ. *l.* 22. *§. pen. ff. h. t. l.* 2. *ſupr. ubi ſenat.* 22 *Sic in C. Theod.* 2. 1. 7. *Extat eadem lex iterum*, Ĵ. *lib.* 12. *tit.* 1. *l.* 13. Cont. 23 Ergo poſſunt & ibidem conveniri, *l.* 2. *ſupr. ubi ſenat. vel clar.* ut & in originali patria, *l. pen. ff. de ſenat.* cum in ea etiam honores retineant, *l. filii. §. ſenatores. & l. ſeq. ff. ad municip.* & in qua domicilium collocaverunt. *d. l.* 2. Mod. Uxor a marito mutuatur honorem, genus, forum, domicilium, *ut hic*, *Novell.* 105. *cap.* 2. *&* 22. *cap.* 36. 24 Al. *deeſt*, *ut in C. Theod.* 25 Nobilitatur a marito uxor. adde *l.* 13. Ĵ. *de dignit.* 26 *Iiſdem forum*, *in C. Theod.* 27 Forum mariti uxor ſequitur. *l.* 5. *ff. de ritu nupt. l.* 1. *§.* 5. *ff. de lib. exhib. l. pen. ff. de juriſd. l. exigere dotem.* 65. *ff. de jud. l. cum in teſt.* 6. *ſupr. de donat. ante nupt. l. caterum.* 4. *§. mulieri.* 1. *ff. de uſu & habitat.* Servium 3. *Æneid. ibi*, *& patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.* adde Coſtanum *cap.* 10. *num.* 47. 28 Incluſa deſunt *in C. Theod.* 29 Domicilium mortuo marito in domo mariti uxor retinet. 30 *Domicilia*, *in C. Theod.*

31 Munus eſt officium privati hominis, cujus utilitas ad ſingulos, univerſoſque cives redit. 32 Intervalla, vacationum tempora, ut ne quis continuare honores cogatur. *l. divus.* 18. *ff. ad munic. l. honor.* 14. *§.* 5. *ff. de muneribus.* 33 Meminit hujus reſcripti Paul. *in l.* 21. *§.* 6. *ff. ad municip.* 34 De filiofamilias intellige, alioqui enim in emancipato aliud dicendum videtur, *arg. l.* 3. Ĵ. *de filiisfam. & quemadm. pat. pro iis ten.* Mod. 35 *l.* 3. Ĵ. *de filiisfam. h. lib. tit.* 60. 36 *l.* 4. *§.* 1. *ff. de excuſ. tut.* 37 Hæc ſunt, quæ intervalla in rubrica dicuntur & *in l. divus. ff. ad munic. l. ult.* Ĵ. *hoc tit.* porro propter honorem aut munus, quo defunctus ſum ipſe, certi temporis vacationem habeo, filius meus non habet propter me: in iis ſcilicet honoribus, qui ſumptu carent, vel in muneribus perſonalibus. *Mod.*

38 *l.* 3. *in pr. infr. h. t. l.* 6. *ff. de legationibus.* 39 Eos. 40 *d. l.* 21. *§. Imperat.* 6. *D. ad municip.* 41 Al. *deeſt.* 42 Vide Dion. 53. Cic. Liv. 7. & 10. Goth. Quæ hic præſcribuntur intervalla, non honoribus tantum, verum etiam oneribus præſcripta videri poſſunt. *l. navicularii. ff. de mun. & hon.* Mod. 43 Ἀλειτουργησία. *Synopſ. Baſil.* 54. *tit.* 3. *cap.* 1. 44 Legationem. 45 Functis. 46 Legatione functis biennii vacatio datur. dixi ad *l.* 3. Ĵ. *de legation. h. l. tit.* 63. 47 Vide apud Livium *lib.* 7. *&* 10. legem quæ vetabat, ne quis eundem magiſtratum intra decem annos caperet: & Ciceronem de legibus. 48 Al. *Aniceto*, vel *Niceto.* 49 *l.* 1. *ſupr. h. t. l.* 7. *ſupr. de decur.* 50 Vid. *l.* 3. Ĵ. *quemadm. civilia muner. h. t. tit.* 42. 51 Al. *ne iterum.* Goth. Eruditiſſimus Cujacius perſpicue legendum ait, *ne iterum interpellemini:* idque & libri veteres confirmant. & *l.* 52. ‖. *de decur.* itemque *l.* 3. Ĵ. *quemadm. civ. mun. indic.* Mod.

52 *Munus* eſt officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos univerſoſque cives, remque eorum imperio magiſtratus extraordinario pervenit. *Mod.* 53 Al. *Philiono* al. *filio Syrio.* 54 I. e. ut ſuo quiſque ordine munera ſuſtineat. *l. filius. l. vicarius. ff. de leg.* & per vices. *l.* 3. *§. eos. & §. præſes. ff. de mun. & hon.* nec tamen ultra modum facultatum. *l. ult. infr. tit. prox.* Mod. Ordine civilia munera ſuſtinentur. adde *l.* 7. *infr. de prox. ſacr. ſcrinior. l.* 12. *tit.* 19. *l. ult. ff. de mun.* 55 Patrimonialia onera ab omnibus ſubeunda. *l.* 3. *l.* 5. *l.* 7. *l.* 10. *infr. h. t.* vide *l.* 2. *in fin. ff. de veteranis:* unde notant, immunitate nuda alicui data, tutelam ſemper excipi, *l. pen. §.* 1. *ff. de vacat. muner.* aliud erit, ſi pleniſſima immunitas data ſit. Pleniſſima enim immunitas omnium tributorum & omnis publici muneris remiſſio eſt, etiam tutelarum, ſed eorum tantum pupillorum, qui non ſunt Ilienſes. *l. non tantum.* 17. *§. Ilienſibus.* 1. *ff. de excuſ.* 56 Obeunda. 57 *l.* 2. *ſupr. h. t.* Goth. Immunitate enim legibus conceſſa corporalia munera remittuntur, non pecuniaria, ex quibus eſt *metatum*, ſive militis domum ſuſcipiendi munus. ſed neque corporalia omnia, nam tutelæ remiſſæ non cenſentur, l. σπαδόντα. *§.* ὁ λαβών. *ff. de exc. tut.* quod eas neceſſe ſit nominatim remitti. *l. non tantum. §. eos. & §. ſeq. ff. h. t. l. legato. in fin. ff. de vac. & exc. mun. l. in honoribus. §.* 1. *h. t.* Vide Briſſonium *ſelect. antiq. lib.* 3. *cap.* 11. Mod. 58 Hoſpitis recipiendi onus patrimoniale. *l.* 3. *§.* 14. *D. de mun.* 59 Aberrare. 60 Equos curules alere ſeu hippaſia munus eſt patrimonii, non perſonæ. 61 Legendum *curules*, *qui & Circenſes.* 62 Vide *l.* 7. *ſupr. de appell.* 63 Commiſſo. 64 A patrimonialibus ætas non excuſat numeruſve liberorum. *l.* 2. *§.* 1. *ff. de vacat. & excuſ. muner. l.* 7. *infr. h. t.* Goth. Vide Ferdinandum Paes *in tract. de excuſ. parent. ob num. liber.* Mod. 65 Al. *excuſatione.* 66 *l.* 1. *§. an & Philoſophi.* 4. *ff. de extraordin. cogn. & l.* 8. *§. Philoſophis.* 4. *ff. de vacat. muner.* 67 A profeſſione ſua alienum quiddam poſtulare, & iniquum & incivile. 68 Philoſophum dedecet avaritia & rapacitas: ideoque a patrimonialibus non excuſatur. Philoſophia denique ejuſve profeſſio non excuſat a patrimonialibus. *l.* 8. *infr. de profeſſoribus. h. lib. tit.* 52. *l.* 8. *§. Philoſophis.* 4. *ff. de vacat. & excuſ. l.* 6. *§.* 6. *&* 7. *ff. de excuſ. tutor.* 69 De avaritia & rapacitate, adde *l. ult. infr. de veteris numiſm. poteſtate. l.* 11. *tit.* 10. 70 *Avaritiæ cæcitate*, *in quibuſdam manuſcr.* 71 A patrimonialibus minor ætas non excuſat. *l.* 5. *ſupr. h. t.* 72 *Pyrrhus legit*, *proſtaſiæ*, verum protoſtaſia principalitatem ſignificat. vide *hic* Alciat. dixi ad *l.* 3. *infr. de filiisfamilias. h. l. tit.* 60. 73 *Sacerdotiæ*, Hal. Sacerdotium hic munus eſt, quo qui funguntur, ludis in honorem Dei alicujus inſtitutis præſunt cum ſumptu aliquo. Talis fuit Alytarchia, Aſiarchia, Syriarchia, Phœniarchia: de quibus dixi ad *l. in honoribus*, 8. *ff. de vacat. & excuſ. muner.* 74 Decaprotia, decem primatus, δεκάπρωτοι, decemprimi. 75 Corporalia munera perſonalia, quibus hic opponuntur patrimonii onera. 76 Al. *ſed tamen.* 77 Patrimonii onus eſt protoſtaſia, ſacerdotium decaprotia, *ut hic.* Imo mixtum ex perſonis & patrimonio. *l. ult. §.* 26. *ff. de munerib.* 78 Patrimonialia munera etiam mulieribus indicuntur. ſexus non excuſat a patrimonialibus. *l. un. in fin.* Ĵ. *de mulieribus*, *& quo in loco. h. l. tit.* 62.